

157.

Schiffen.

his.



V

0011

(alt. Nr. 393.)

Sammelband von 57 Schriften theol.,
philos. u. jurist. Inhalts.
v. Meier, J. Th.

P. VII. 89.



39
DISPUTATIO PHYSICA
DE
MUNDO

Quam
Divinâ adspirante gratiâ

In Illustri ad Albim Academia
Sub PRÆSIDIO

M. JOHANNIS MANITII

Sereniss. Elect. Saxon. Alumn.
Placidæ Φιλοσοφόντων disquisitioni publicè

Subjicit

CHRISTIANUS HÆGG

Sprembergâ Lusatus

In Auditorio Minori

die 15. Junij horis Matutinis.

B. Sperlingius:


Felicitas est, in Mundo esse, & quid
Mundus sit, non ignorare.

WITTEBERGÆ

Typis Johannis Borckardi.

Anno 1661.





Prooemium.

Splendida omninò est scientia, splendidissimum Mundum scire theatrum. Sol novit cursum suum: Hirundo nidum: Apicula favum: Aranea optimè cognitam habet structuram telæ artificiosissimam. Majora conatur scire hominis animus. Longè nobilius homo, parvus qui mundus est, magnum investigare novit Mundum. Altius sedet homini infusus rerum amor scientiæ. Palatij sanè hujus fundamentum terram, adeò ingenti mole corpus in medio æthere pendulum, non firmatum catenis, nec fulcris suffultum æreis cognoscere, quid præstantius? quid jucundius? Cælum stellas, undas, Meteora, Mineralia, metalla, plantas, herbas floresq; quibus terra pingitur, bruta cunctaq; corpora à Deo sapientissimè elaborata lustrare nihil svavius. Omnia in Mundo sunt & summa & media & infima. Omnia etiam pulchra, omnia magnifica atq; mirabilia, quæ se obferunt nobis in mundo. Magna igitur quid Mundus sit, in mundo scire, felicitas. Maxima verò suam ipsius ignorare domum turpitudine. Ibimus ergò in jucundissimam Mundi disquisitionem. Aspiret cæptis Deus gloriosus Mundi fabricator!

§. I.

Non minus politè, quàm eruditè olim dixit, quicumq; dixit: *πρὸς τὸ ὀρθῶς διδάσκειν πρῶτον ἐξετάζειν δεῖ τὰ ὀνόματα.* Etenim vocabula sunt cubilia rerum & qui fidere feliciori provehi cupiunt in rei cognitionem, prius nomen & vocis usum excutiunt. Hæc igitur ratione & nos primò *ὀνομασλογία* seu vocis considerationem, ut certa Mundi significatione notatâ, tuto pede queamus in *πραγμασλογία* procedere, præmittemus.

§. 2. In *ὀνομασλογία* Autores neutiquam variant, sed Mundi nomen ab ornatu suam traxisse originem & Græci &

A 2

Latini

Lib. 2. c. 4.

In Georg.
p. 306.

σταστ. 101. in
Job. Tom.
9. col 896.
B.

Latini fatentur. Nam & illi κόσμον quod nos pulchritudinem & ornatum, appellitant, primo ejus nomenclatore Pythagora autore. Galenus ait: πυθαγόρας πρῶτος ὠνόμασε τὴν τῶν ὅλων περιοχὴν κόσμον Pythagoras primus appellavit hunc rerum ambitum Mundum. Idem de eo Plutarchus & causam quoque; addit: ἐκ τῆς ἐν αὐτῷ τάξεως: ab ordine qui est in illo. Ab ordine, inquam, sive à toto ornatu, cum nihil sit pulchrius, nihil admirabilius, quam tota hæc pulchra Mundi machina, non tam pulchram propter cœli reliquorumque; corporum faciem, quam rerum omnium εὐταξίαν, Φιλίαν, κοινωνίαν. Quid Plinius? Quem κόσμον Græci nomine ornamenti appellaverunt, eum nos à perfectâ absolutâque; elegantia Mundum. Platonem etiam non omitteremus scribentem: Φασὶ δὲ οἱ σοφοὶ, καὶ ἔρανόν, καὶ γῆν, καὶ θεοὺς, καὶ ἀνθρώπους τὴν κοινωνίαν συνέχειν, καὶ Φιλίαν, καὶ κοσμιότητα, καὶ σωφροσύνην, καὶ δικαιοσύνην, καὶ τὸ ὅλον τῆτο διαταῦτα κόσμον λαλεῖν, ἢ ἀκοσμίαν ἢ ἀκολασίαν. Sapientes loquuntur, cœlum & terram, Deosque; hominesque; societate quadam & amicitia ornataque; modestia & temperantia & justitia contineri: atque; universum hoc propterea mundum atque; ornatum nominant, non immunditiam, neque; intemperantiam.

§. 3. Ne autem noxæ nobis sit æquivocatio, mature præcavendum erit ab erroribus. Per Mundum enim (1.) in sacris literis intelliguntur per Metonym. Subj. homines in mundo: & iterum per Synecdoch. gen. pro Spec. impij & increduli. Sic Johan. 16. v. 20. dicitur: εἰ δὲ κόσμος χαρήσεται. Mundus a. gaudebit. Ubi Mundi nomine, inquit Augustinus, significati sunt inimici, à quibus Christus occisus est. Mundi etiam nomine malitia potest hujus vitæ intelligi: id est, hominum mundi hujus amicorum. conf. Joh. 16. v. 8. & c. Dicitur etiam mundus (2.) muliebris ornatus; Quæ autem ad mundum muliebrem pertineant, ea diligenter enumerata sunt ab Ulpiano in l. argum. 25. §. ornam. ff. de auro & arg. ubi inter mundum & muliebria ornamenta distinguit elegantissime. Quam in rem extat lepidum Johannis Girardi carmen, quod ob venustatem adscribere placuit: Quæ

Quadam non ornata quidem, sed foemina munda:

Immunda ornata est foemina quadam alia.

Quaritis, o Cives, qua gratior? illa vel illa?

Displicet immunda ut, sic mihi munda placet.

§. IV. Sed & (3.) adolescens datur, Mundus qui appellabatur, atq; inter equites etiam dignitate praestans erat, Paulinamq; Romanam in templo Isidis pra amoris violentia tandem corrumpibat. Quae de re & lectu jucunda, & ob sacrificulorum fraudem atq; avaritiam notatu digna apud Henricum Salmuth ex Zonara desumpta habetur historia. Conf. Joseph. lib. 18. Antiqu. c. 6. Joh. Borcholt. in Tractatu de Feudis c. 8. n. 101. (4.) Mundum alij ponunt *Archetypum* seu intelligibilem, qui est mens divina rerum omnium exempla, & ideas in se continens. (5.) *Angelicum*, Angelorum quem multitudo constituit ordinata. (6.) *Elementarem*, qui tum ex coelo tum elementis est compositus. (7.) *Magnum* qui res omnes continet creatas & corporeas & incorporeas. (8.) *Parvum* s. *μικρόκοσμον*, qui homo salutatur. Neutra vero significationum harum ad nostrum est palatum, praeter illam, sexto quam sequenti explicabimus paragrapho

§. V. Nunc ad *πραγματολογία* nos accingimus, qua, ut plenius, Mundus quid sit, cognoscatur, aliqualem ejus primo delineationem, deinde causas tum externas tum internas, tandem nonnullas ex hisce fluentes complectemur & explicabimus Quaestiones.

§. VI. Descriptionem Mundi cum B. Sperlingio olim Physico incomparabili nostro ex Inst. Phys. lib. 9. *ἀνακ.* cum melior a nobis dari nequeat, talem constituimus: *Mundus est compages ordinata ex omnibus corporibus naturalibus coagmentata, a Deo propter Deum facta.* Accuratam cum definitionem hic habere non possimus, aliquali contenti sumus descriptione. Mundus sane non minus quam acervus tritici, hordei, lapidum, plurimarum Entium infert aggregationem. Coelum enim sidera, elementa & omnia corpora naturalia Mundus complectitur. Et hac ratione etiam salutatur uni-

veritas, & τὸ πᾶν & τὰ ἅλα: non verò extra hunc visibilem mundum nihil esse, hoc ipso involvimus: plurimas enim atq; eximias Dei creaturas, quales sunt Angeli & beati etiam extra mundum esse quis negabit?

§. VII. Compagem Generis loco descriptionem hanc Mundi habere facile patet. Neq; enim corpus naturale ipsum Mundus est, sed ex cœlo, stellis, elementis infinitisq; corporibus perfectis & pulchris compactus: Neq; Species est, sed specierum omnium collectio, & pulcherrimum & perfectissimum systema. Nec obstat doctrinam de Mundo non posse Physicam esse, cum nec corpus naturale nec species ejus sit certa. Mundum n. Physica perpendit & repræsentat: Mundus est liber naturæ, cujus tot paginae, quot in eo sunt species & literæ tot, quot specierum dotes: Elegantissimè hac de re gecinit Titelmannus:

*Tu fecisti librum magnum & latum: universam hanc mundi
Machinam spatiosam & speciosam valdè tu creasti.*

*Scripsisti in eo mirabilia multa & magna, incerta quòq;
& occulta sapientia tue impressisti in eo.*

*Immensam potentiam tuam & incomprehensibilem sapien-
tiam
descripsisti in eo; inestimabilem quoq; bonitatem & per-
fectionem tuam.*

*Singula que sunt in eo creatura, singula sunt paginae
libri, singula sunt characteres, singula perfectiones,
qua inveniuntur in illis*

*In oculis omnium legendum exposuisti librum istum. Vo-
lumen*

*hoc volvi facis atq; revolvi, ante conspectum omnium
populorum.*

*Legunt in eo quibuscunq; lavare placuerit oculos, intelle-
ctum quoq; das omnibus, qui pro corde abs Te poposcerint.*

§. VIII.



§. VIII. Formales. differentia specifica à quatuor desumitur Causis. Scilicet à causâ Materiali, quæ includit omnia corpora naturalia: Formali, quæ est ordo superiorum & inferiorum corporum: Efficiente, quæ est Deus: & Finali, Dei gloria. His explicatis non obscure naturam Mundi habebimus explicatam. Fabri de pariete, num latus inclinet an murus sit rectus contendat. Nos delectat miranda supremi fabricatoris totius mundi opera prædicare. Melius nobis mortalibus mortalitatis nostræ domum rectius contemplari.

§. IX. Aggredimur itaq; mundi Materiam, quæ sunt omnia corpora naturalia, non solum simplicia, sed etiam mista, non solum inanimata, sed etiam animata. Intelligimus autem materiam Mundi constituti, minimè a. constituendi: Illius enim

Materiam noli quærere, nulla fuit.

Non ignoramus enim mundum esse conditum ex nihilo, id est, nullâ omnino præexistente materiâ. Quâ de re Damascenus rectè scribit: *Deum omnia fecisse ex nihilo, alia quidem immediatè, alia mediatè.* Nihil a. contradistinguitur *τῷ* Enti, quod simpliciter non est. Non Entis n. nullæ sunt actiones, nullæ passiones. Nihil tantum terminus est, non materia nec productionis, nec constitutionis. In principio fecit Deus cælum & terram. Fecit itaq; aut ex aliâ priori substantia quæ non sit Deus, aut ex nihilo. Verum quid prius erat mundo? Deus. quid Deo prius? Nihil. Ex nihilo igitur Deum creasse mundum sapiens concludit sapientia. Deus sanè *ἀπλῶς* primus, *αὐτεξῆς*, *αὐτάγαθ* & quam vocem pulchrè excogitavit Scalig. *αὐταυτός*: Deus prima causa, primus autor rerum omnium.

§. X. Confundenda a. neutiquam erit Creatio prima cum secunda. Quæcunq; corpora creatione primâ producta sunt, ex nihilo facta sunt. Quicquid a. creatione secundâ productum est, materiam habuit, sed ineptam, confusam, & indispositam, quippe quam Deus ex nihilo condidit, & deinceps mediante illâ omnes alias creaturas formavit ex nihilo. Et sic Mundus mediante illâ massâ rudi & informi creatus fuit
ex ni-

ex nihilo; minime a. è cœlo & elementis secundum sententi-
am Timpleri falsissimam. Cœlo n. cum elementis existente,
mundus & erat certissime. Etenim quid aliud est mundus se-
constitutus quam cœlum & elementa & in his contenta? Discas
ergo mi Timplere rectius distinguere inter mundum constitu-
tum atq; constituendum, inter materiam primam & secundam.

§. XI. Formam Mundi dicimus ordinem. Ordo aliàs di-
gestio & in suo loco cuiusq; rei collocatio. Ordo m. res in na-
tura est mirabilis, quò inter se superiora, media, infima con-
nexa, copulata & sapientissime distincta sunt. Sordent omnia
quæ confusè & inordinatè congesta sunt. Parum delectant res
nondum dispositæ in mundo. Displicent rudera collapsæ do-
mus. Acervus rerum confusus nullo modo mundus, sed potius
illud, quod Græci & Poëtæ Chaos dixerunt, appellari poterit.

§. XII. Notandum tn. hîc: Ut numerus est duplex, unus nu-
merans, quo numeramus: alter numeratus, qui nihil aliud est,
nisi res ipsæ numeratæ: pari ratione duplex m. datur ordo, *or-*
dinans nempe, qui est mutua partium inter se ratio, seu, ut Au-
gustinus definit, parium dispariumq; rerum sua cuiq; loca tri-
buens dispositio: Et *ordinatus*, qui res ipsas includit aptè dis-
positas. Ita & omnes rerum species ac partes in mundo ita in-
ter se colligatæ sunt, ut annulus annulo in catenâ aureâ. Nos
itaq; ut ordinem observemus, & prolixitatem fugiamus, spe-
cierum tantum non partium observabimus ordines breviter.

§. XIII. Quatuor sunt in universum Ehtium ordines. Inani-
matarum specierum consideratio infimum nobis proponit or-
dinem. In animatæ n. species tantum existunt, non vivunt, non
sentiunt, non intelligunt. Primò ad contemplandum sui nos
invitat cœlum opus digitorum Dei: Contemplamur stellas tot
miraculis quot radiis plenas. Ab his itur ad quatuor elemen-
ta: ignem, aërem, aquam, terram. Omnia suis gaudent pro-
priis. Hæc lapides, metalla, gemmæ & mineralia excipiunt. Tan-
ta specierum in omnibus est differentia, ut non minus diversi-
tate quam multitudine variant. Nulla in augustissimo mun-
di reperire licet teatro species, quæ suis defraudata sit doti-
bus. Tantum, quantum sat est, cuiq; dedit natura.

§. XIV.

§. XIV. Ordo proximus sistit herbas & arbores. Hic corpus datur sine sensu & vita sine ratione. En plantas numero innumeras, virtute inestimabiles! Immensus arborum est exercitus. Floribus lætissimis ac fructibus dulcissimis ornata est terra. Vere novo viridis se subjicit alnus ipsumq; cœlum petit. Ingredimur hortos:

*Pallentes violas, & summa papavera nobis
narcisum, & florem præbent benè olentis anethi.*

Nutritur ruta, augetur & ex semine sibi simile gignit. Ibi salvia vivit odorifera, alibi grata moritur hyssopus. Non secus n. plantæ ac ipsa animalia nunc citiùs, nunc tardiùs senescunt & intereunt. In silvis m. pulchra & splendida plantarum inveniuntur genera, faciesq; jucundas cunctis ostentant mortalibus:

*- - - varios hinc flumina circum
fundit humus flores: hic candida populus antro
imminet, & lente texunt umbracula vites.*

§. XV. Sequitur ordo tertius, qui specierum est sentientium. In his & vita & sensus datur. Longe n. præstantiora sunt brutorum agmina herbis & arboribus. Musca ipsa hic nobilior pomis, pyris. Ô quanta naturæ hic majestas! Prostant hic volatilia, natatilia, gressilia, reptilia. Omnia quoad sensum conveniunt quamvis specie inter se differunt: visu auditu, olfactu, gustu & tactu fruuntur, externasq; rerum species ad cerebrum revocant, dormiunt, & vigilant, bona quæ sunt appetunt & de loco in locum hoc ad prosequendum illud fugiendum feruntur. Singula sunt prægnantissima infinitæ Dei potentia, imperscrutabilis Sapientia & ineffabilis providentia argumenta. Serpentis, leonis, aquila, ursi, agni, cervi, lupi, leporis, hirundinis, brutorumq; reliquorum quoties quæso fit mentio in concionibus, in orationibus imò in ipso sacrarum literarum codice? Salomo sanè de plantis non saltem disputavit, sed de jumentis etiam, de volucris, de reptilibus ac de piscibus disseruit. Mansuetissima, prudentissima, patientissima & fortissima bruta sunt animalia. Non curant pondus auri argentiq; splendidum. Non serunt, non metunt, neq; convehunt in horrea, & tn. Pater cœlestis alit illa optimè.

1. Reg. 4, 33.

Mat. 6, 26.

B

§. XVI .



§. XVI. Quartus ordo est Hominis. Homo superat omnia, supera, infera, media. Hic animal est divinum plenum consilij: hic nobilissimis ornatus est beneficiis. Cœlum, Sol, stellæq; ceteræ itemq; mineralia esse duntaxat nudum habent, nulla ibi vita, nullus sensus, nullus intellectus. Herbæ atq; arbores non essentiâ tantum, sed & vitâ gaudent. Antecel-
lunt has bruta animantia, quæ non sunt ac vivunt tantum, sed & sensibus præterea pollent. Omnia unus homo complectitur & superat: Habet corpus, habet vitam, habet sensum, habet rationem. Mensura perfectionis in genere corporum naturalium homo est. Ideò etiam totum antè mundum creavit Deus, quàm summam quasi ejus in Homine depingeret, ut esset, secundum Euripidis sententiam, σοφὸν τέκτονος καλὸν ποικίλμα. En ordinem intelligentium, sentientium, viventium, existentium!

§. XVII. Ne autem trahamur ambage prolixâ, nunc etiam de Efficiente Mundi non nulla sunt dicenda. Causam Efficientem totius hujus universi, omniumq; ejus partium Deum esse non tantum oracula divina, verum m. pleriq; omnes ante Aristotelem Philosophi asseruere. Et Præceptor Aristotelis Plato divinus totus in eo fuit, ut mundum à Deo factum ac creatum monstraret: Omnes specierum ordines tacitè exclamant: *Ipsè fecit nos & non ipsinos.* Ipsè fecit immensum cœli palatium & pulcherrima sidera: Ipsè fecit elementorum mistorumque compagem elegantissimam; viriditatem sylvarum, varietatem brutorum & admirandam hominis fabricam. Et *mundus ipse*, ut Augustinus inquit, *ordinatissima sua mutabilitate & mobilitate & visibilium omnium pulcherrima specie quodammodo tacitus & factum se esse, & non nisi à Deo ineffabiliter atq; invisibiliter magno, & ineffabiliter atq; invisibiliter pulchro fieri se potuisse, proclamat.* Sapientissimus n. Deus simul creare qui poterat omnia, ordine condidit omnia. Unde pulchrè & piè Autor de Mundo ait: ἀρχαῖς τις λόγος, καὶ πατριός ἐστι πᾶσι ἀνθρώποις, ὡς ἐκ θεῶν τὰ πάντα, καὶ διὰ θεῶν ἡμῖν συνέστηκεν. Vetus sermo est, u n versa tum ex Deo tum per Deum constituta esse. Plato etiam in Timæo, *Deum creasse, efformasse &*
con-

DeC.D.
lib.ii.cap.4

cap.6.

constituisse hunc mundum profitetur. Et illud Sophoclis: *Unus verè unus Deus est, qui cælum condidit amplamq; terram.*

§. XVIII. Finis mundi est Dei gloria. Cuncta bonum quærunt, unde prodierunt. Sapienter scribit Hermes Trismegistus in libro de pietate & Philosophiâ. *πρῶτον, inquit, ὁ Θεός: δεύτερον ὁ κόσμος: τρίτον ὁ ἄνθρωπος διὰ τοῦ Θεοῦ.* Primum Deus: secundum Mundus: tertium homo. Mundus propter hominem: Homo v. propter Deum. Quid enim prius Mundo? Deus. Quid Deo prius? nihil. Nihil itaq; Deum ad productionem Mundi, sed ipse seipsum movit. Deus ideò mundum creavit, ut infinitam suam bonitatem communicaret: Id quod eleganter expressit Augustinus sequentibus: *Tria quædam maximè scienda nobis de creatura, oportet rimari, quis eam fecerit, per quid fecerit, quare fecerit. Deus dixit, inquit, Fiat lux, & facta est lux: & vidit Deus lucem quia bona est. Si igitur quærimus, quis fecerit, Deus est; si, per quid fecerit: dixit: Fiat & facta est. Si, quare fecerit, quia bona est. Nec Autor est Excellentior Deo, nec ars efficacior Dei verbo, nec causa melior, quàm, ut bonum crearetur à bono Deo.*

*de Civ. Dei
lib. II. c. 21.*

Sequuntur Questiones.

1. An dari possit peculiaris doctrina de Mundo & quem sibi vendicet locum in Physica?

Non tantum entia per se, verum m. entia per accidens comprehendendi, doceri, ac disci posse sapiens cum dicti tet sapientia, meritò inde argumentamur:

Quicquid sub Ente cognoscitur, sub intellectum cadit.
Mundus sub Ente cognoscitur

E. Mundus sub intellectum cadit.

Major est manifesta, quia cuncta perpendit intellectus entia per se & per accidens: scrutatur perfecta & imperfecta: quæ sunt supra nos, quæ sunt circa nos & infra nos. Minor constat, quia mundus Ens est per aggregationem. Mundum itaq; cum plurimi ceu magnum naturæ librum peculiariter considerent, in eo legant, innumeriq; philosophi in considerandis hujus libri paginis operam impenderint sedulam, peculiarem de illo doctrinam dari, quis inficias ibit? sicut a. hoc

B 2

ipsum



ipsum est verissimum, ita ne utiquam negandum erit doctrinam de mundo speciebus corporis naturalis falsò à plerisq; præponi. Quamvis hoc ferè ab omnibus fiat, non tñ. videndum est, quid fiat, sed quid fieri debeat, neq; multitudo errantium errori parit patrociniū. Non desunt tamen qui nobis objiciunt, mundi doctrinam præmittendam esse, cum plurimum addoctrinam de Cœlo, stellis, Elementis &c. Cognitionem faciat, & consideratio universalium tractationem particularium præcedat. Sed contrarium potius nobis placet, cum nullum totum cognosci possit cognitione distincta nisi præcognitæ fuerint partes. Mundum ergò distinctè nemo cognoscit nisi per partes. Ex partibus n. totum cognoscitur, non partes ex toto. Et si vera est regula, ut est verissima: per quæ quid constituitur, per ea & cognoscitur: ex Speciebus sanè quibus constat discendum quid mundus sit, non verò ex mundo quid sint species. Cœlum, stellæ, ceteræq; Mundi species sine cognitione mundi distinctè & perfectè cognosci possunt: Verum absq; corporum naturalium cognitione distinctè & perfectè nequam cognoscitur mundus. Mundus etiam cum non sit principium nec affectio nec species corporis naturalis, sed ad Entia per accidens & aggregata quæ ad scientias non spectant, communiter referri solet, neq; ad Generalem neq; Specialem partem Physicæ pertinebit. Pertinet tñ. ad Physicam ut *είναις Φαλαίωσις*, brevis repetitio eorum quæ fusè latèq; sunt dicta & acta. Quam in rem elegantissima B. Sperlingij nostri verba lubet adjicere: *Quid hæc de mundo speculatio? Hoc attendendum. Species corporis naturalis nunc colliguntur & conjunguntur. E collectis unum totum oritur quod mundus salutatur. Quæ ergo disjunctim visa sunt antè, nunc conjunctim visuntur. Quid n. Physica totum aliud, quam doctrina de Mundo?*

2. An Mundus sit animatus?

Secretiora quæ sensus rudes fugiunt meditatur sapiens & subtilis ratio. Mundum hunc animâ & corpore constare Plato, Stoici aliiq; & prisca & recentes Philosophi quàm multis quàm magnis quæso defendere conati sunt eloquiis? Insipientem prædicant negantem animam istam mundi omnia sustentantem

tantem, omnia animantem celsaq; majestati cognatam. Hæc enim est, exclamant audacter, quæ corpora efformat naturalia, quæ formas rerum particulares conservat materiamq; universi inhabitat. Verum enim vero majora & meliora dicitur naturæ veritas. Longè meliùs alij quorum meliore Luto præcordia Titan finxerat de mundo sentiunt. Particulares sane animas in animalibus, in plantis, in mineralibus esse suasq; operationes edere veritas ipsa loquitur. Hyeme latentes hirundines, muscæ, & ranæ suis non sunt orbatæ animis, quamvis exiguis tunc formarum ornatae sint dotibus. Unde omnes corporum naturalium operationes? non ab universali mundi animâ sed ipsâ particulari formâ. Quis avibus fingit pingitq; pennas? Quis in piro progenerat pira? non anima mundi universalis, sed forma ipsa particularis. Deinde quædam mundi partes sunt mortales, ut bruta, quædam immortales ut homines. Quomodo vero unius simplicis & singularis an imæ altera pars mortalis, altera immortalis esse poterit? Ad hæc corpus naturale quod una regitur animâ est continuum, in unum verò partes à seipsis loco & intervallo sunt separatæ: ita tamen, ut omnia, sicut pulchrè B. Sperlingius scribit, *ubiq; disposita sint solertissimè, sint summa imis, media extimis, singula singulis ita copulata, ut mireris vehementer naturarum nexum. Amant se corpora, nullo accepto beneficio: odio prosequuntur se nulla datâ offensâ. Sed cuncta hæc per qualitates formarum particularium aguntur, sine ulla supremo numini vicinâ animâ, quæ mundum per omnes partes faciat animatum.* Non itaq; informari poterunt formæ rerum specificæ ab unâ mundi animâ. Illæ n. nullam supervenientem agnoscunt. Illæ nequaquam ab alio, ut sint, distingvantur aut operentur, accipiunt. Ipsæ dant esse, ipsæ dant distingvi & operari. Si verò quis mundo concedendus est spiritus, nullus nisi Deus erit. Deus n. est qui omnia quæ creavit, sapientissimè gubernat & sustentat. Eandem quoq; sententiam placere sibi Lucanus ostendit in-
quiens:

Jupiter est quodcunq; vides, quò cunq; moveris.

Virgilius canit:

B 3

Deum

Medit. X.
in Scal. Exerc. 6. §. 1.



4. Georg.

- - - Deum namq; ire per omnes
terrasq; tractusq; maris, cœlumq; profundum.

Ex Poëtarum mente Cicero pluribus in locis & Quintilianus
libro sexto de Institutione Oratoriâ, *Deum*, dicit, *esse spiritum
omnibus partibus immixtum.*

3. An Mundus sit interiturus?

Nullum rationis scrutinium sed magnum sacrarum litera-
rum gazophylacium satis firmum est ad evincendum mundi
interitum. Ne quaquam natura hoc dicti tat, verissimè au-
tem scriptura explicat. Oculis fidei non corporis aut ratio-
nis mundum interiturum esse videre possumus. Hâc ratione
multi aliàs satis eruditi Viri infamiam sibi compararunt, quam
non

- - - Ultima Thetys nec genitor nympharum eluet Oce-
anus, qui statuerunt, naturam defecisse, decrevisse cœlum-
que descendisse & ad terram nunc inclinare propius vetustate,
aërem longo temporum tractu multis vaporibus nunc esse in-
fectum, aquam impuriorem terramq; esse effœtam, quæ o-
lim fuerit purissima & fœcunda, stirpium plantarumq; natu-
ram hodiè fieri debiliorem, primis etiam seculis terram gigan-
teos & supra modum proceros homines produxisse, nunc v.
pusillos & eorum comparatione pigmœos & proinde omnia
mundi senectam testari atq; interitum. Etenim, quid aliud
nisi mundi ruinam non supernaturalem ac miraculosam, sed
naturalem expectandum esse his omnibus docuerunt? Quic-
quid n. deficit & in dies suâ sponte magis magisq; ad interitum
vergit, illius interitus non erit miraculosus ac supernaturalis,
sed naturalis. Necesse sanè est id tandem corruat, quod spon-
te ad interitum vergit. Verum n. vero cum prius de mundo
sit falsissimum & jamdudum à naturæ scrutatoribus explosum,
neutiquam & posterius mundi videlicet interitum naturalem
esse erit affirmandum. Rectiq; itaq; credendo intelligimus mun-
dum aliquando interiturum esse, non intelligendo credimus.
Interitus mundi minimè naturalis est, verum supernaturalis.
Nam *influxu creativo*, ut Sperlingius scribit, *qui omnia crea-
vit, & influxu conservativo omnia conservavit, is influxu destru-
ctivo omnia annihilabit.*

4. Quan-

4. Quando Mundus sit interiturus?

Extiterunt omnino omnibus temporibus non pauci qui certum & definitum interitus mundi tempus constituere præsumserunt. Inter Montanistas fuit Anno Christi 174. referente Epiphanio Maximilla quæpiam spiritum vaticum jactans, cujus hæc fuerunt verba: Post me non erit prophetissa, sed consummatio. Circa annum 1105. Episcopus quidam Florentinus tunc certò mundi finem instare asseruit. Arnoldus de Villa nova, Gallus, acutissimus alioquin Philosophus & Medicus ex conjunctione superiorum planetarum, Saturni, Jovis & Martis mundi interitum Anno 1345. indubitato consecuturum affirmavit. Pastor Lochaviensis, Mathematicus non incelebris interitui mundi diei Luciae horam 8. Anno 1533. ridiculè designavit. Alij constituerunt cum Nagelio 1635. Tilnero 1646. Felgenhauero 1667. aliis placet annus 1672. aliis 1692. aliis alijs. En multos mundi interitus investigatores! Unum ex his si nôris omnes noris. Nos verò his omnibus & aliis cum B. August. respondeamus: *Conjecturis utuntur humanis, nec ab eis certum aliquid de scripturæ Canonice autoritate profertur. Omnium v. de hac re calculantium digitos resolvit & quiescere jubet ille, qui dicit, Non est vestrum scire tempora.* lib. 18. d. C. D. cap. 53. tom. 5. coll. 1130. Quomodo quæso nos miseri mortales quo anno, quo mense, quo die tanta splendidissimi theatri spectabitur ruina scire poterimus, cum nemo cœlestium nec terrestrium de die & hora illa certum quid habeat, nisi solus Pater? Volumus igitur ea nescire quæ Deus noluit præsciri. Nobis sufficiat maxima Dei nostri opera celebrare atq; nos ipsos non ignorare. Satius nobis pulchram mundi machinam mortale nostrum domicilium contemplari æternaq; fidei atq; pacis tabernacula expectare.

Tibi Creatori MVnDI sIt gLoria!

Ornã



Ornatum Mundi dum fūstis, doctē Respondens,
Sordet Aristoteles, munda Sophia placet.
Gratulor hanc mentem: non Te malus auferet er-
ror,
(Perge modo) & *clarum nomen in orbe geres!*

Imq; f.

M. JOHANNES SIMON

Facult. Phil. Adjunctus & Sch. Opp. Con R.

Ad Per-Eximium atq; Doctissimum Dn. Respondentem,
Amicum atq; Conterraneum suum pl. dilectum.

Naturæ liber est Mundus; volvendo, legendo
Huncce librum præstas *Te Physicum esse bonum.*
Omnes res physicas sub se complectitur orbis,
Naturæ species, corpora cuncta simul.
Huncce librum manibus sic pergito volvere doctis,
Invenies *Quæcunq;* munera larga TIBI!

αὐτοχ. scrib.

M. JOH. MANITIUS

Disputationis Præses.


Mundula de Mundo dum verba faceffere gaudes,
Ex animo cœptis gratulor ipse Tuis.
Mundus ab ornatu veluti sua nomina duxit:
Sic à *munditie mundus*, Amice, clues.
Felix qui mentem mundus, qui mundus & arte!
Utraq; Te virtus, utraq; fama beat.
Mundities mundi scripturâ teste peribit,
Sit licet interitus abdita cuiq; dies:
Ast Tu perpetuò post mundum fama virescet,
Integer in Musas quam Tibi spondet amor,


*dulcissimi Amici Dn. Resp. conatibus
mundulis acclamat*

JOH. Breüer

Crebâ Lusatus.







39

DISPUTATIO PHYSICA
DE
MUNDO

Quam
Divinâ adspirante gratiâ
In Illustri ad Albim Academiâ
Sub PRÆSIDIO

M. JOHANNIS MANITII

Sereniss. Elect. Saxon. Alumn.
Placidæ *Φιλοσοφῶντων* disquisitioni publicè
Subjicit

CHRISTIANUS HÆGEN

Sprembergâ Lusatus
In Auditorio Minori
die 15. Junij horis Matutinis.

B.Sperlingius:
Felicitas est, in Mundo esse, & quid
Mundus sit, non ignorare.

WITTEBERGÆ
Typis Johannis Borckardi.
Anno 1661.

